

III.

NEOVIDENSIS

Nro 56. (Neovidensis Nro 79.)

*Euridices vir, Threicia fretus cithara, sty-
gias superavit undas, et immites cantu
flexit umbras, ut hoc colloquium earum
politicum nobis efferret.*

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 12. Oct. 1804. (Neov. 28. Sept.)

Titanum ingentia membra
Hic quales hominum testificantur avos.
Ossibus an membris, num grandes intellectu?

Sermocinatio:

Deucalionem inter, & Horatium Saussure.

Saussirius.

Post varia itinera, multosque exantlato la-
bores tandem te reperio Deucalion!

Deucalion. Possum forte tuæ servire uti-
litati? Non est, ut currentem incites, ita ad
omnia præsto sum.

Saussirius. Quamdiu apud superos mora-
bar, nihil mihi fuit antiquius, quam scruta-
ri phænomena physica. Diluvium tua ætate
enatum cum omnibus ejus adjunctis cupio
ex te intelligere?

Deucalion. Nullane prostant in sacris vestris
libris ultricum undarum vestigia?

Saussirius. Omnino quam clarissima; Fatales hæ aquæ effusæ sunt Anno post conditum orbem 1656 adeoque annis 2293. prius, quam Christus nasceretur, & innundaverunt orbem terrarum universum.

Deucalion. Innundatio, quæ Thessaliâ tantum complexa est, contigit tardius, anno nimirum ante Christum natum 1529, antequam Israelitæ ex Aegypto excederent, tribus continuis annis aquæ de coelo, & terra prorumpebant, & tota Thessalia fuit obruta ponto.

Saussirius. Antiqui Græci te, atque hoc diluvium multis fabulis involverunt. Quidquid ergo tunc vixit, mersum est aquis?

Deucalion. Verisimile est, voluisse Jovem in Titanes, vel Gigantes severissime animadvertere, eo enim temeritatis prolapsi sunt, ut montibus congestis cælum invadere tentaverint.

Saussirius. Quid narras de Titanibus, de Gigantibus? Videntur hæc ridiculi causa à te dicta.

Deucalion. Minime gentium, extra jocum res agitur, vixere olim Gigantes.

Saussirius. Edissere ergo, quanta circiter proceritate corporis fuerint insignes?

Deucalion. Viginti aliquot pedibus me superarunt; terramque contingentes poterant me quasi vermem pedibus conculcare.

Saussirius. Sine dubio habitaverint in ædibus editissimis.

Deucalion. Palatia eorum Cælos attinge-

a;
ost
93.
un-

am
ano
ate-
tri-
erra
oru-

hoc
uid-
?
Jo-
sime
apsi
dere

, de
sa a

jo-
circuit-

me
erant

at in

inge-





ban
Cut
one
man
teff
osd
fluv
rant
flum

quib

bus
& v
post
ces
curb
dev

quo

rum
cont
tibus
cora
di n
tium

man
Non

nost
long

bant. Ceterum domos raro incoluerunt. Cutis eorum contra omnem aëris constitutionem obduruerat; Tempore pluvio altissimam quercum radicitus evulserunt, illaque tecti incedebant. Vice quadam conspexi eosdem ad utramque ripam magni cujusdam fluvii, qualis est Rhenus, considerare; Poterant sibi manus porrigere, & nullo negotio flumen transilire.

Saussirius. Quomodo tolerabant vitam, quibus rebus vescebantur?

Deucalion. Elephantibus, Rhinocerotibus, & maximis provinciæ bobus. Oves, & vitulos ita glutiebant, quasi fuissent ostrea; postremum cibum, quemadmodum nobis nuces avellanæ, illis præbuerunt ingentes cucurbitæ, quarum singuli 100 vel etiam 150 devoraverant.

Saussirius. Hinc apparet, vos bobus quoque, vitulis & ovibus abundavisse.

Deucalion. De hoc dubitari nequit, verum ista conservare multi sudoris fuit, ac contentionis non mediocris. Nonnisi abeuntibus ex nostra vicinia Gigantibus licuit pecora alere; Novimus etiam artem recondendi nostras vaccas, & boves in cavernis montium, & speluncis rupium.

Saussirius. Non ducebantur ne hæc immania hominum monstra commiseratione? Non exaudiverunt vestra lamenta?

Deucalion. Quomodo potuissent gemitus nostros suis auribus excipere, quæ a nobis longissime distabant? Deinde illis inter se

colloquentibus, obstruendæ erant nobis aures, tam horribilem enim edebat fragorem eorum vox, ut putasses millenis, & millenis tonitribus Cælum contremiscere.

Saussirius. Non impetebantne se invicem bello?

Deucalion. Nullus erat apud eos discordiarum finis; Quisque aucupabatur dominatum, eumque in nos voluit extensum. Pro nobis certabatur, uti solent rixari lupi oviculæ inhiantes. Nos læti spectavimus eorum interitum, & in dies imminui numerum, attingimusque ætatem, qua portentosa illorum magnitudo defecit, illique de tempore in tempus minores effecti sunt.

Saussirius. Fac, ut ex te cognoscam, quo pacto istud evenerit.

Deucalion. Ausculta: Arrogantia eos vanitate replevit; Libido vires attrivit, invalescens morum corruptela in turpissima flagitia præcipites egit, effæminati facti sunt, & uxores eorum luxuria diffluxerunt; Inde natæ proles imbecilliores nactæ sunt valetudinem, nec poterant amplius staturam parentum assequi, imo progressu temporis minores effecti, usque dum sex pedes tantum in altitudine numerarent, & demum nobis similem magnitudinem haberent. Diluvium, quod paulo post subsecutum est, omnia fecit paria, hoc est, perierunt omnes, ego solus evasi cum conjuge mea.

Saussirius. Unum adhuc est, cujus rescindi desiderio teneor, erantne Gigantum uxores pulchræ?

Deucalion. Terribiliter pulchræ; volentes ornare caput, sumebant florentes de arboribus ramos, & nonnunquam frondosum Persicum implexuerunt capillis, illud rigabant, ut radices fixerit, floruerit, & etiam fructus tulerit.

Saussivius. Nequeo animo comprehendere ullam tam horribilis venustatis formam.

Deucalion. Paucis tibi describam filiam mei Domini: Divina hæc Horatia oculos habuit cæruleos, qui magnitudine caput meum superarunt, & quod plus, supercilia erant nigerrima, quatuor ulnas, & amplius longa. Capillos commendabat color badius, prominebantque usque ad terram, adeoque æquabant 62 pedes, tanta erat ejus corporis proceritas. Dependentes ab auribus usque humeros cincinni vas octo urnarum figurabant. Suavissimus ejus vocis sonus similis erat mugienti fulminis jactui, cujus fragor in longinquas regiones per aëra dissipatur. Quando cum majestate gradiebatur, tremuit terra sub formosis, & duas ulnas longis ejus pedibus. Cedri, & quercus nutabant declarantes se velle eandem comitari. Pro jentaculo sumsit ut plurimum theam e scutella ita magna, prout solet esse cacabus coctioni cerevisiæ serviens. In prandio absolvit medium elephantem, & artocreas sex vervecibus fartum. Vesperi autem contenta fuit medio Rhinocero, & vitulo in coagulo præparato. Nos Pygmæi numero tercenti sternebamus ejus lectum; Accidit autem, ut quidam meorum

propinguorum tardius adveniret, accessit illa ad stratum, apprehendit digitis infelicem, & enecuit, putans se pulicem compresisse.

Saussirius. Ain' tu, potuisse hæc fieri?

Deucalion. Eximia erat præterea corporis specie, ac decore, & optimi cordis, sed quid mirum? illud enim ita fuit magnum, sicut dolium Heidelbergense. Me præ cæteris ferebat, collocavit supra suos digitos, & ope microscopii intuebatur. Plerumque in ejus calceis, vel crepidis noctem transegi, in quibus sufficiens nactus sum spatium singulis diebus mane spatiandi. Si longiori tempore pedes non abluit, crevit in illis lactuca, & cinara. Abscissis autem manuum unguibus integrum erat tecta nostrarum ædium tegere. Respirabat suaviter, sed si eam tussis invasit, halitu suo evertit domos. Pingebat acu potissimum, & suebat. Ast acus, qua braccas sui mariti plicuit, longior erat longissimo veru, in quo sex meleagrides possent assari.

Saussirius. Quæ narras, fidem excedunt!

Deucalion. Ita tu existimas. Sed perpende, quæ fuerit rerum facies, dum, Titanes, alique Gigantes armis præcincti sunt, ut Cælos expugnarent. Integras illi rupes jactabant contra Lunam, jamque clamabatur in castris, illam mox cardinibus motam collapsuram.

Saussirius. Satietas nos tandem jocandi capiat, Deucalion! Græci hanc de Titanibus fabulam confinixerunt, ut sequentem inde deducant moralem doctrinam:

1) Omnis superbus, qui se contra Cœlos erigit, reprimetur, & tandem succumbet; Judicia Dei sunt admiratione digna.

2) Quicumque in humana magnitudine confidunt, in nihilum redigentur. Ita ex Gigantibus nati sensim defecerunt. Hæc sunt, ut opinor, quæ Græci hac fabula memoriæ posterorum prodiderunt.

Biographiæ.

Deucalion, Promethei filius. Cum ex pyxide Pandoræ omne mali genus hoc in orbe funestum acciperet exordium, contigit ingens diluvium, quo genus humanum interiit. Unicum duntaxat par ab hoc universali hominum excidio incolume servatum est, videlicet Deucalion, ejusque conjux Pyrrha. Hi navi, in qua salutem quæsiverunt, in Parnassum montem delati adierunt templum Themidis consulturi oraculum, quidnam factu opus esset, quibus illud satis obscure respondit, ut ossa suæ matris, post se projicerent. Responsum oraculi pertinere ad silices, qui pone jacebant, intellexerunt. Hos itaque post tergum jaciebant, & projecti a Deucalione in viros, a Pyrrha autem in mulieres convertebantur.

Saussirius (Horatius Benedict.) Professor Philosophiæ in Universitate Genevensi, eximius naturæ scrutator, natus est A. 1740 prope Genevam. Ejus inclinationem ad res physicas aluit vicinia Alpium, & exemplum Patris Nicolai, qui ab editis scriptis æconomicis mul-

tum commendatur: Plurimum tamen ei profuit amicitia Boneti, præclari rerum naturalium investigatoris, hic probabilius auctor erat Saussurio, ut mature suam operam impenderit Physiologiæ plantarum: Docet hoc prima ejus lucubratio, quam A. 1762 in lucem dedit sub hoc nomine: *Recherches sur l'écorce des feuilles, et des pétioles*. Hoc eodem anno renunciatus est Professor Philosophiæ, tradiditque summo cum fervore alternis vicibus Logicam, & Physicam, semper tamen gratissima illi fuit occupatio, investigatio naturæ. Quantum hoc in genere præstiterit, testantur ejus scripta, quæ & publicis ephemeridibus, & Boneti, Spalanzanii, aliorumque operibus inserta sunt; Item A. 1766 edita *Dissertatio de Electricitate*, & A. 1771 *Exposition abrégée de l'utilité de conducteurs électriques*. A. 1774 dato tractatu conabatur publicam in patria educationem emendare. Condidit societatem artium, ex qua ultimis 30 annis in fabricas Genevenses ingentia dimanarunt commoda, illique præfuit, usque dum moreretur. Erat quoque Societatis Genevensis in arcana naturæ inquirentis solertissimus socius. Denique evocatus fuit, ut ad ferendas salutare pro Patria leges concurreret, ea propter dissoluto nationali Conventu Consilio ducentorum adlectus. Diligentia, quam in hac statione adhibuit, non parum obfuit ejus valetudini: Licet autem A. 1794 hemiplexia tactus multum amiserit de viribus corporis, nihil tamen remisit a fervore. Usus dein est aquis Plumbariis in Ducatu Lotharingiæ, sed irrito conatu, vizes enim sensim exhaustæ, membra fracta mortem accelerarunt A. 1799 die 22. Januarii. Præter duas probe educatas filias reliquit filium, qui sibi pluribus dissertationibus jam insigne naturæ scrutatoris nomen emeruit.

